



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XVII. De præscriptis à S. Ignatio Societatis augenda præsidiis, ac primum de admittendorum delectu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

tatis radicibus, tum auctoritatis supremæ, partes illius distinctè singulas approbantis, vt nefas sit ex iis, quacumque specie, quicquam in dubium vocare, vel explicationibus interpolare.

XVII.

De præscri-
ptis à S. Ig-
natio Socie-
tatis augen-
da præfidiis,
ac primum
de admitten-
dorum de-
lectis.

Veget. l. i.
cap. 7.

Societatis natura in hunc modum expressa, eiusque auxiliis ad agendum, & Ordine graduum; sequuntur ad vltimum eius conferuandæ, promouendæque præfidia, fundatoris sancti præceptionibus tradita. Horum sine controuersia caput est, illorum delectus qui eam ambiunt, nam vt illa vi nutriendi qua viuunt animantes, alimenta inepta corpori non accedunt, nisi pessimè affecta, & cum prauis humoris damno affluxu, ex quo necesse est morbos gigni & temperiem insitam pessum ire; ita per delectus promiscuos tyronum; vitiatas succis, religiosorum ordinum corpora inquinantur, aut graui deinde molestia purgandis, aut damno maiori retinendis: quemuis aditum in Societatem præter illum quem S. Ignatius, parte prima Constitutionum aperuit, merito B. Borgia, Exitij portam, nominauit, iniqua ergo est illa vulgi, de nobis expostulatio, & laude mutanda; hamo nos, non reti piscari, *turbam reti concludi*, vt ait Ambrosius, *hamo eligi singularem*. Præterquam quod enim, non sunt religiosi Ordines emunctoria publica, & cloacæ, in quæ domus priuatæ, suas noxas & molesta pondera protrudant, & Caini ritu, agrestibus Deo primitiis supplicent; verat ratio delectus haberi minus curiosos adscribendorum in aliquem Ordinem, quàm sit eius Ordinis scopus excellens, & arduus: quare publico bono destinati, hominibus egent fructuose ac tutò (qui non passim occurrunt) in publicum mittendis, & hoc idem mihi maximè cordi est, aiebat olim Henricus I V. Parisiensi Senatui optiones tyronum lectissimas in nobis arguenti, in faciendo inquit exercitu, conscribo semper quàm optimos, id si neglexero, habiturus sim pro certo militem, pedibus quam manu promptiorem, estque hoc effectum præstantis militiæ doctoris; *Vires regni, & Romani nominis fundamentum in prima delectorum Examine consistere*. Tot has nihilominus tam diligentes curas, non raro exitus eludunt, & qui de se spes magnas principio fecerant, magnam partem abortiunt, multo plures futuri, si negligentius legerentur, nam si numeri magis quam iusti ponderis examen habeatur, breuilliam illam Societas referat, prole esto, præcinctam numerosa, sed lacrymosam, & ingemiscentem, multiplicata gente, non magnificatam lætitiâ: necesse est igitur ex S. Ignatij super his præscripto, Societatis candidatos, nauis aliquibus carere; ornamentis quibusdam instructos esse. Debent ergo priuata Hærescos, schismatis, homicidij carere culpa, & ex immuni aliquo scelere vulgata infamia; debent esse ab omni seruitutis, & coniugij vinculo liberi; debent nullam mentis, aut corporis infirmitatem pati, qua efficiantur inutiles; debent eremitarum habitum, aut alterius Ordinis (dempto militari) profitendi animo nunquam induisse. His impedimentis fores non patent in Societatem; aliud addidit grauius de causis, quinta Societatis Congregatio, etsi iuris non æquè seueri,

seueri, nempe ortum hebraeo, aut saraceno ex genere: præter quæ sunt alia non ita grauias de quibus iudicant penes quos admittendi ius est, an eiusmodi sint quæ hominem faciant ad instituti munera ineptum, vt si quis anno decimo quinto minor, vel quinquagesimo grandior, si multum iudicio; memoria; ingenio deficit; si ferox indole, & virtuti refractaria, atque indocili; si diu prauis incoctus moribus; si mente à fine optimo distorta; obærat, valetudine infirmus: quamuis S. Fundator haud multum huic ultimo attendebat, si accederet excellentia virtutis, atque ingenij; aiens sic affectos, & semianimes, sæpè validis, & integri roboris præstare. Quibus autem instructos esse oporteat, qui nobis adiungi cupiunt, ferè quidem sunt quæcumque animum, & corpus ad bene viuendum, & præclare agendum comparant. Vnum tamen in iis eminet, quod antiquus est Societate Pater sic scriptum reliquit [Dixi, ait, Patri Ignatio Christianæ mentis magnitudinem inesse quandam, qua diuino fretus auxilio, multa, & grandia, Deoq̃e maximè gloriosa, Instituto nostro complexus est: quæ nobis quoque debet virtus inesse; animi scilicet amplitudo, omnium capax, & auida, quæcumque nobis, etiam ardua, summæque heroica suis Constitutionibus præscripsit. Nec sit qui arrogantiam hanc putet, & virtutis priuata fiduciam, difficilia quæuis auctrice Obedientia ex Instituto suscipere; fundat enim hoc animi robur ex sui totius, acuta, nec dissimulata perspicientia, sui demissio. Hinc quantum viderint, tum ex nostris, tum ex aliis viri sapientes facillè apparet, qui Societatem paucorum esse censuerunt. Philippum quidem Melanctonem, pestilentem hæreticum, proximè moriturum, vitæ odium cœpisse dicitur in id temporis extractæ, quo de gestis Xauerij apud Indos ea discere cogebatur, quæ se cum acerbissimo cruciatu necarent; ergo erigens sese subito impetu, & circumactis indignanter oculis, *bone Deus*, ait, *quid est hoc? video totum mundum plenum Iesuitarum.* Quanto exclamasset furiosius, si nunc illos vidisset, subdit Burdigalensis Senator Florimundus, tot prouinciis, domibus, Collegiis, Stationibus, toto orbe fusos? hoc eodem ex luto Melanctonis, compegit Philippicam Arnaldus qua dolet vehementer, naturam sui erga nos oblitam, & crudelitatem ferarum in homines, sterilitate emendasse, ne multiplici earum foetu, regiones fierent inhabitabiles: huius vero in nobis prouidentia salubris immemorem, augeri nos eò vsque passam, vt breui terram inundaturi videamur. Intelligere non poterat homo cæcus causæ præstantiam, ex qua sibi tam tristes, quàm exosi fructus nascebantur; pridem alioqui videre illam potuisset ex breuiori diplomate Pij V. ad Coloniensem Archiepiscopum, Salentinum de Comitibus Isenburgensibus, vbi præter alia [factum ait, vt ex varia & vberi messe quam Societatis pietas, caritas, morum integritas, & sanctimonia in Ecclesiam congregabat, ipsa Societas cresceret, paucisque annis Christiani orbis, ferè omnes prouincias collegio aliquo decoraret, optandumque vt essent multo plura, in locis maximè lue hæreseos contactis, propterea, inquit,

l. 4. in Luc.
Tract. 1. 2. in
Ioann.

Ser. 4. diuers.

Societatem hanc complecti debemus, ac tueri, vt re ipsa facimus. Verum et si res ita se habeant, sed possent aditus in Societatem adeo laxari, ad spargendos quocumque terrarum ex illa homines, vt tandem operariorum numero laborans, eorum opera egeret: nam qui strenue rem agant, & pauci sunt & ex bonis selecti; ceteri ferè impedimenta & sarcinæ, retia lacerant, & nauim deprimunt, *Mihi cumulus iste suspectus est*, inquit Ambrosius, *ne plenitudine sui naues parè mergantur*. Causam periculi ponit Augustinus hanc ipsam tractans piscationem spe, ac voto maiorem, *Vnde*, ait, *existunt in Ecclesia, tanta qua gemimus, nisi cum tanta multitudini obsisti non potest, qua ad submergendam propemodum disciplina, intrat cum moribus suis, à sanctorum itinere penitus alienis?* Rete quidem ad dextram si Christo iubente mittitur, quodque in nobis est, ab eo per seruum suum Ignatium dictatis insilitur; fortunabit piscationem Deus opulenta captura virorum insignium, in quos illa cadat admiratio laudis magnifica, & cum tanti essent non est scissum rete. De quo idem alibi ait *Adiectam ab Euangelista rem necessariam, & cum magni essent, non est scissum rete*, nempe quod integra durassent retia, contra quam ex magnitudine piscium timeri debuerat; inde potius euenisse, *quia magni erant*. Quod vtinam tam certum non foret, nam qui sunt Instituti muneribus impares, vim magnam virtutis, ingenique poscentibus; fere aut maiora se ambiunt, aut conantur, aut se alienis ab instituto negotiis implicant. Certè si homines futuros de Societate ad eam exigimus staturam, quam signarat P. Hieronymus Natalis, & quæ fronti præfixa Constitutionum diu lecta est, haud scio an possit, vllum vel æquò rigidius, examen; vel probatio durior videri. *Homines*, ait, *mundo crucifixos & quibus mundus ipse crucifixus sit, vite nostra ratio nos esse postulat. Homines*, inquam, *novos, qui suis se affectibus exuerint, vt Christum induerent: sibi mortuos, vt iustitia viuerent. Qui vt D. Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in Scientia, in Longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant; per arma iustitia à dextris & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam, per prospera denique & aduersa magnis itineribus ad caelestem patriam, & ipsi contendant, & alios etiam quacumque possunt ope, studioque compellant: Maximam Dei gloriam semper intuentes.* Ego, aiebat aliquando Ignatius, si esset optandum diutius viuere, ad hoc optarem potissimum, vt essem admittendis in Societatem hominibus parcior; fuitque dum vixit in eo sanè parcus; imò hanc admissionis difficultatem, facilitate dimittendi (quam post videbimus) cumulauit, quo tamen vtroque Societatem magis auxit, quam si legionem ex manipulo fecisset. Explorabat imprimis velut sapiens architectus, soli naturam, & habilitatem indolis, quam si minus vidisset idoneam, ferendæ fabricæ, Deum, & Apostolicum spiritum excepturæ, nullis adducebatur precibus, vt ei inædificaret.